

Jan. civil

Pl. 115.

5

Heinrich

Ze  
2607

U. 777

ALLOCUTIO  
 AD AMPLISSIMUM, NOBILISSIMUM, OPTIMI-  
 QUE CONSILII VIRUM,  
 DN.  
 VITUM JOANNEM  
 SNORRIUM,  
 PRÆTOREM ET SENAT. SNEEBERG,  
 GRAVISSIMUM etc, etc.  
 QUUM  
 DVLCISSIMAM, OMNIQUE VIRTVTVM GENERE MACTA-  
 TISSIMAM FILIAM VIRGINEM

**SUSANNAM SNORRIAM,**

ACERBA MORTE IN IP SO ÆTATIS FLORE RAPTAM,  
 SPLENDIDIS, AT LVCTVOSIS EXEQVIIS  
 EFFERRET

Die XIV. FEBR. A. R. S. MDCCIV.  
 IN CONSOLATIONIS ET VENERATIONIS  
 ARGUMENTUM FACTA

A

M. Urbano Godofr. Sibero, Diac. Sneeb.



Impressit Henricus Fulda.



cat. U. 777



*A*equum est, ut, qui gaudiis aliorum intersunt, non discedant, aut turpi fuga sibi consulant, quando calamitates ingruunt, quae fortunas turbant, gaudiaque pellunt, et ipsa felicitatis fulcra convellunt prouuntque. Viles sunt animi qui tantum ad solis lumen, et benignioris aerae flatum adsunt, qui tantum sereno coelo adhaerent, qui sedatis fluctibus nobiscum navigant, et in litore ac portu ludunt; obducto autem nimbis ac nubibus coelo lateras quaerunt, et Euros timent, et cavernas petunt, unde luctantium pericula tuto contemplari possunt. Honesti autem, qui utrumque, et solis radios aestusque ferre didicerunt, qui lactam pariter et exasperatam coeli frontem intuentur, qui ad auras et turbines simul consistunt, qui aeque blandienti ac ferocienti pelago inatant, qui, ut in portu, sic et in alto constantiam, roburque animi tumentur. Id fortis est animi, non in curiam solum sectari amicos, aut in Campum Martium descendere, aut in Capitolium sugredi, sed in hoc amicitiam probes, si hostis instet, et telo jugulum petat, si orbis persequatur et irruat, tunc solatium et consilia non denegare, suppetias ferre, sique opus sit corpore et ipsius sanguinis periculo tueri. Hec quondam Nominis Romani pietas gloriaque fuit, quae in Gracchis, Atticis, aliisque eluxit; haecque eadem illa est, quae et hoc aervo cuiusque docus comparare potest. Haud errabo, si putem, me hoc inprimis auctoramento gratum fore, si fidem inter lacta praestitam, inter aduersa seruem, quamque in sereno quondam exhibui, eam et in turbido probem. Volupe mihi dudum fuit, videre, et sectari fortunas, quae SNORRIANAM domum circumstabant. Laetatus sum intueri Patrem, tot magistratus bene gesti, tot vitae laudatissimae decoribus fulgentem. Plausus dedi quando felicissimam inibat Praeturam, quandoque excellenti Genero eandem per vices deferebat. Gavisus sum, quando filias e casto sinu susceptas in propagationem virtutum claris causarum Oratoribus dabat, geminaviq; animi exultantis fructus, quando Parens spes illas posteritatis, incedentisque senectutis solatia, Nepotes, osculabatur. Jamque ad nova gaudia me praeparabam, dum pulcherrimo et venustissimo flore succrescentem SUSANNAM illam contemplant, illud naturae artificium, illud praestantissimarum virtutum domicilium, illud omnium venustatum deliciarumque sacellum, in quo non hominum sed caelestium oculi nasci debuissent. Quis enim vitio daret, huc gratulatione verti, huc spectare, felicitatemque haud paucis obviam mirari? Rectius certe in animato aliquis et divinae sortis conpote corpore haeret, quam si vel coeli, vel terrae spectacula rimetur. Unde nec mihi aliquis improbet, si non hanc modo excellentissimam naturae fabricam, sed et eos avide spectaverim, quorum ope ad illud praestantiae fastigium erecta fuit. Sed ut benignior fortuna dedit, ut in his blandimen-



mentis testes veluti haud ignari sanctae voluptatis essemus; ita vicissim  
 illa nunc ea singula involvit, quae usque in theatro spectacula fecisset, muta-  
 vit scenam, blandientem faciem tristi persona obduxit, lactam frontem  
 foedavit minis, ferentem nubo, auram procellis, tranquillitatem tem-  
 pestate sepelivit. Quodque ferocissimum putes, multorum annorum  
 opus, Archimedeam statuam, Lysippique operis elegantiorum non modo  
 truncavit, sed et penitus confregit. Jam fugiant aliqui, versaquae facie  
 calcem ostendent, mihi certe id sanctum et solenne sit, ut, quum tuum maxi-  
 me Caput, **VITE JOANNES SNORRI** his procellis peti, hoc turbine tan-  
 gi, hac strage tantum non obrui cernam, ego adstam lateri, alloquioque  
 firmem, et si haud alia re, solatio tamen tanquam aliquo umbone tegam.  
 Hoc tua meretur in me virtus, quae et mihi quondam, et commendatione  
 et suffragis, et cumulatibz beneficiis preesto fuit. Hoc tua meretur publica  
 virtus, qua omnes Cives nostros ut unum complecteris, quos fit, ut commu-  
 nis Parentis ac Patroni nomen jure obtinere queas. Hoc filiae dulcis-  
 simae meretur virtus, quae illam, vivam, mortuamque generis humani de-  
 licias fecit. Piaculum profecto foret te deserere, dum ad pretiosas illas rui-  
 nas confisistis, hiantequae vultu, ac tumentibus oculis, ultimam voluptatem  
 colligis. Atinque, quo me solatio tueberis? quo fulcro prostratum eri-  
 ges? qua arte restitues perditum conqussatumque opus? Id igitur **VITE**  
 recorderis, ut nemini gentium, ita nec Tibi fortunae constantiam peculio  
 datam esse, sed ut felicissimi quique, quum maxime illa succinguntur, mox  
 se illius praesidio nudatos destitutosque sentiunt, ita haud quicquam aliud  
 Tibi expectandum fuisse. Ferunt quaedam antiquorum templa ad sum-  
 mum artificium constructa, fastigio aequile ornari non potuisse, sic juben-  
 tibus fati. Ita existimes, tuam fortunam, quoniamquam altissime prove-  
 ctam, sic a fati circumscriptam esse, ne istud filiae tuae supremum decus illi  
 imponeretur. Hoc si mansisset ornamentum, tu novum in auditaefelicita-  
 tis exemplum fores, quod Solomen mendacii argueret, beatum inter morta-  
 les non in venientem. Ostendam tibi Principes, sobole numerosa auctos,  
 quam ante se, fati eripientibus, nec in viti prorsus concesserunt. Dudum  
 ille rerum ordo turbatus est, quo nati lecticas Patrum subientes, ipsos ad  
 rogum deduxerunt; videbis autem Parentum multos, qui cineres nato-  
 rum in sinu gestaverunt. Quae, si solatia valida non suggerant, id quae-  
 so reputes, te non solum esse, in quem illa tempestas incumbit. Adest te-  
 cum magnae pietatis animique foemina, Conjux fide et sapientia praestans,  
 quae magnam hujus calamitatis partem suis cervicibus imponet. Adest  
 reliqua numerosa soboles, tuis se doloribus objiciens, quae ut aetate junior  
 ita ferendis illis fortior erit. Quodque haud vanum arbitreris, omnes  
 illi, multoque adhuc plures, quam qui exequivas eunt, imo, quibus quibus  
 tua virtus nota est, ad erigendum te succedent, partemque doloris sibi vin-  
 dicabunt. Equidem inter ea metus surgit, ne illud quidem solatii genus  
 levando moerori sussecturum. Quid enim consolationis habet alios sor-  
 didatos cernere, parique nobiscum squalore foedos intueri? fortiora pro-  
 mas, quae animum debilitatum fulciant! Et quo vertam? nisi ad consti-  
 tia divina, quae Tibi ad animum revocanda, inque delinimentum pro-  
 fusu haurienda sunt. Numinis effatum fuit Te ad hanc sortem trahere, te  
 his premere procellis, te hac tempestate circumagere, te his fluctibus merge-  
 re, ut rindus probe suffususque, et explorantis vim, et restituentis bonitatem

agno-

2607  
X 3047291 V.18

agnoscas, Numinis factum est, excellens illud et elegantissimum naturae opus ad primam revocare formam, hocque, quod pulchritudine florebat, in cineres vertere, ne in hoc uno delitesceret animus, coelestique similem voluptatem caperet. Quae, ut in castigationem forte, salutrem inter damna sua, cedunt, ita haud minus ad mitigationem doloris, pristinaeque felicitatis expectationem faciunt. Quippe inter ea credes, et nebula pelli, et splendidius lumen reddi, compesci tempestates, et fluctus sedari posse, quae omnia Tuo capiti imminebant. Illa ingens, eloquioque nostro major, Numinis potentia, hanc tibi spem, suggeret, facile restitutum iri à Deo quod confregit. Quod si enim antiquis Graeciae ficatoribus fisoribusque proclive fuit, artem, quam vellent, induere formam, Tu, eandem artem Deo deprecaberis? Ne jam jam servat praestantissimam dulcissimae Tuae SUSANNÆ partem, sanctissimoque loco, eodemque tutissimo custodit, ut, cum universa restituerit, eam grata, ipsisque Divis expetita imagine producat. Haec, quam patrio monumento condidit, fortuna sibi, et variaetemporum vicissitudines, et humani corporis affeculae, morbi, adpetiturae erant. Illam, jam jam cingit perpetua juvenus, illam orbis aeternitatis tenet, illam perpetua sectatur felicitas, illam divinae coelestesque mentes comitantur. Huc, VIR FORTISSIME, spectes, sic persuasus, nec me, nec alios alium de solatia petere. Illa, illa dierum hebdomas mihi eripuit Fratrem CHRISTIANUM ANDREAM, in quo paternum decus et excellens virtus, et corporis dotes, et summa eruditio et dignitas Praesulatus embebant. Quo autem in hoc luctu, acerbo herede, nisi ad consilia divina irem? quae, et si nulli mortalium pervia, temperant tamen illum, & habent veluti et coelo porrectis, fortissimae coercent. Hic solamen quaero, hic invenio, unde pars est Tuum illuc deducere animum, qui profecto levamen sentiet, unde gravissima moeroris pondera proruperunt. Quod, sic propinquo, aliquod Tibi levamen afferrendum sit, intuearis in dulcis SUSANNÆ Tuae virtutes, sic Tibi aliisque obvias, ut nec ab ipso tempore condi possint. Haec delectabant Te, cum viva aliquando absens, puellis reliquisque affabilitatis decoris que gratiam faceret, eadem nunc te solentur, cum terris erepta inter coelites versatur. Hoc illud est monumentum, quod communis omnium corruptela abolere non potest; Haec memoria indelebilis erit, cumque lapides, et saxa, et aera migrent, virtutes illae incolumes perennesque stabunt. Quas si nemo unus vel comprehendat satis, vel miretur, vel si tua quoque, tot curis onerata mens, illas ex aequo recordari non possit, me consulas, quae quinquenni observatione, eas inter seculi ornamenta referre didici. Ac mihi quidem semper erit copia, ut & de venustate, et verecundia, de incredibili modestia de pudicitia, obsequio, veneratione in Numen, et innumera SUSANNÆ dotibus aliquid referam, hisque omnibus non tam lacrymas, quam gratiam jucundamque recordationem excitem. Haec illa sit fides mea, quam Tibi, VIRE, inter haec adversa, ut in lactis praestandam duxi, aeternumque praestabo, Deus autem Junnus, qui tristitia quaeque in gaudia vertit, jam e benignitate solita de Te statuat, hanc que stragem immenso bonorum cumulo obtegat, virtutibusque Tuis honores debitos, vitae senectutem tranquillam, Natis utriusque sexus cum animi fortunaeque incrementis, quae jam uberrime possident, seram felicissimamque aetatem largiatur. Sic SNORRIANA domus, inter adversa licet, tamen ob lactorum copiam, veluti rarum aliquod felicitatis exemplum nostrae posteritati commendabitur.

no



Fh. 115.

5

# ALLOCUTIO

AD AMPLISSIMUM, NOBILISSIMUM, OPTIMI-  
QUE CONSILII VIRUM.

DN.

## IM JOANNEM

## SNORRIUM,

## EM ET SENAT. SNEEBERG,

GRAVISSIMUM etc. etc.

QYUM

OMNIQUE VIRTUTVM GENERE MACTA-  
TISSIMAM FILIAM VIRGINEM

## NAM SNORRIAM,

ORTE IN IPSO AETATIS FLORE RAPTAM,  
NDIDIS, AT LVCTVOSIS EXEQVIIS  
EFFERRET


XIV. FEBR. A. R. S. MDCCIV.  
SOLUTIONIS ET VENERATIONIS  
ARGUMENTUM FACTA

A

Godofr. Sibero, Diac. Sneeb.



Impressit Heinricus Fulda.



cat. V. 377.